

Hinc Theologi docent gratiam habitualement in Christo *intensive* et *extensive* plenam fuisse. Nam agnoscenda ea est in Christo « in summo gradu possibili secundum statum connaturalem, et de lege Dei ordinaria, habetque omnes suos effectus connaturaliter posibles, uti sunt remotio peccati, sanctificatio proprii subiecti, et aliorum hominum, cum sit gratia capitis, potestque quantum est de se, se extendere ad sanctificationem infinitorum hominum, et Angelorum, si posibles essent ¹ ».

Porro planum est illud perspicere, quod qualitas, quae in quodam subiecto magis *intensiva* est, quam in alio, posse in hoc esse magis *extensivam*, quam in illo. Sic bonus Logicus *intensive* est doctior mediocri medico; at hic *extensive* est illo doctior. Ita etiam calor, ut sex, in sola manu *intensive* est maior calore, ut quatuor, in toto corpore; at hic *extensive* illum excedit.

X. EXTRINSECE—INTRINSECE. 1° *Extrinsece* alicui convenit id quod ipsius essentiam non ingreditur, quo sensu homini *extrinsece* advenit esse doctum: *Intrinsece*, id quod illius naturam constituit, e. g., homo *intrinsece* est animal. 2° *Extrinsece* inesse rei dicitur id, quod illi physice non unitur; e. g., columna *extrinsece* dicitur dextra, quia « dextrum non dicitur de columna, nisi in quantum ponitur animali ad dextram ² »; ita ut esse dextrum non sit realiter in columna, sed in animali: *Intrinsece*, id quod physica unione in aliquo reperitur; ut Aethyops *intrinsece* est niger. 3° *Extrinsece* est in aliqua re illud, quod ipsam non pervadit; uti punctum est *extrinsecum* parti, quam copulat: *intrinsece*, quod rem afficit quoad partes interiores; id quod, monente s. Bonaventura, dupliciter esse potest, nempe aut sicut contentum respectu continentis, ut aqua respectu vasis, aut quia « influit in intima rei, et influendo conservat et perficit »; quo modo esse *intrinsecum non congruit daemioni nec respectu simulacri, nec respectu hominis* ³. 4° *Extrinsece*, vel *intrinsece* aliquid esse possibile diversa ratione dicitur ⁴.

¹ Vid. Gonet, *Manuale Thomistarum*, Par. 3, tract. I, c. 10, t. V, p. 511, 512, Biterris 1680.

² I, q. XIII, a. 7 c.

³ *In lib. II Sent.*, Dist. VIII, p. II, a. 1, q. I ad arg.

⁴ Vid. *Possibile*, litt. P.

E

EFFATA

I. EADEM SUNT PRINCIPIA ESSENDI ET COGNOSCENDI. Etenim sicuti principium, per quod res est, est eius forma ¹; ita « omnis cognitio est per aliquam formam, quae est in cognoscente principium cognitionis ² ». Iam vero alio modo sunt principia essendi et cognoscendi; sunt enim principia essendi quoad *esse* reale et particulare; sunt autem principia cognoscendi quoad *esse* abstractum et universale. Quocirca s. Thomas illud effatum explicat hunc in modum: « Dicendum quod illud, quod est principium essendi, est etiam principium cognoscendi ex parte rei cognitae, quia per sua principia res cognoscibilis est; sed illud, quo cognoscitur ex parte cognoscentis est similitudo rei, vel principiorum eius, quae non est principium essendi, nisi forte in practica cognitione ³ ». Et s. Bonaventura: « Quando dicitur, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad cognitionem, hoc intelligitur, quia eadem principia, quae sunt principia essendi, sunt etiam principia cognoscendi; sed tamen principia conferunt esse per seipsa, sed cognitionem non conferunt per se, sed per suas similitudines ⁴ ».

Insuper, licet quaecumque principia *essendi* sint principia cognoscendi, tamen non omnia principia cognoscendi sunt principia *essendi*; e. g., formae intellectus speculativi sunt tantum principia cognoscendi, et effectus interterum sunt principia cognoscendi causas ⁵. Non autem est necesse, quod omne, quod est principium cognoscendi sit principium essendi, cum quandoque cognoscamus causam per effectum, et substantiam per accidentia ⁶.

Denique, « non oportet ita essentias rerum produci, sicut habent cognosci; sufficit enim, quod sic se habeant ad esse, sicut se habent ad cognitionem; sed non oportet

¹ Vid. *Forma*, litt. F.

² *Qq. dispp., de Ver.*, q. X, a. 4 c. — ³ *Ibid.*, q. II, a. 3 ad 8.

⁴ *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVI, a. II, q. 2 ad arg.

⁵ S. Thom., *Ibid.*, q. III, a. 3 ad 7.

⁶ I, q. LXXXII, a. 3 ad 4.

quod sic se habeant ad productionem ¹). Scilicet, necesse non est, ut res secundum eundem ordinem, quo producuntur, a nobis cognoscantur.

II. EADEM UNI TERTIO SUNT EADEM INTER SE. Scilicet, si duo distincta possunt affirmari de uno tertio, possunt etiam de se affirmari. Huic axiomati ars syllogistica innititur; illa enim ex identitate extremorum cum tertio cognita in praemissis infert in conclusione identitatem illorum inter se. Hinc recte dico: Omnis peccator est imprudens: quidam peccator est dives: ergo quidam dives est imprudens. Ubi quidam *dives* et *imprudens* eadem esse, seu inter se convenire dicuntur in illatione, eo quod prius cum uno tertio, nempe cum *peccatore* convenerant.

At vero, quae sunt eadem uni tertio *re*, et *ratione*, sunt eadem inter se; non sunt autem eadem inter se, quae sunt eadem uni tertio *re*, et non *ratione*, nempe secundum omnem rationem, ita ut secundum quandam rationem, et inadaequate tantum conveniant uni tertio, et secundum aliam rationem ab illo differant. Hinc non licet ita argumentari: Actio, et passio sunt idem cum motu; ergo sunt idem inter se; nam actio, et passio sunt idem cum motu, sed non secundum rationem oppositionis, quam in se involvunt; quocirca cum non sint idem cum motu secundum omnem rationem, non sunt idem inter se. Quare s. Bonaventura de illo pronuntiatio sic loquitur: « Illud principium intelligendum est secundum idem. Non enim sequitur, quod si aliqua duo sunt similia uni, quod sint similia inter se, nisi sint similia secundum idem ² »; scilicet, quae cum uno tertio consentiunt, non omnino secum consentiunt, sed in eo tantum, in quo cum tertio consentiunt.

Ex his intelligitur prolatum axioma mysterio ss. Trinitatis nullo modo opponi. Etenim Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt quidem re ipsa unum, idemque cum natura Divina, at non secundum omnem rationem, siquidem Essentia Divina est aliquid absolutum, Paternitas autem, Filiatio, et Spiratio passiva aliquid relativum significant. Hinc ex illo axioma sequitur Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse unum inter se in natura, ac

¹ S. Bon., *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, a. 1, q. 3 *ad arg.*

² *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, a. 1, q. 3 *ad arg.*

proinde eandem *numero* esse Trium Personarum naturam, non autem esse unum ratione Personae, seu relativae oppositionis, quam ad se habent ¹.

Exinde etiam ratio perspicitur, ob quam Sapientia, e. g., et Bonitas Dei, etsi ratione non sint idem cum divina Essentia, tamen, secus ac divinae Personae, inter se non distinguuntur. Nam illa attributa, etsi *ratione* ab Essentia differant, sicut Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva, non includunt tamen in sua ratione formali oppositionem relativam, sicut illae relationes, et ideo non differunt inter se, sicut Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva.

III. EFFECTUS DEFICIENS A CAUSA PARTICULARI NON DEFICIT A CAUSA UNIVERSALI. Sicut enim potest esse aliquid, quin sit homo, vel vivens, non autem potest esse aliquid, quin sit ens, ita potest aliquid fieri extra ordinem causae particularis agentis, non autem extra ordinem causae universalis, sub qua omnes causae particulares comprehenduntur. Enimvero, si qua causa particularis deficiat a suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impediendam, quae continetur sub ordine causae universalis; quocirca effectus ordinem causae universalis nullo modo praetergredi potest.

Ex hoc infert s. Thomas impossibile esse, ut Divina voluntas effectum suum non consequatur ².

IV. EFFECTUS ASSIMILATUR CAUSAE AGENTI ³.

V. EFFECTUS EST POSTERIOR SUA CAUSA ⁴.

VI. EFFECTUS EST PROPORTIONALIS SVAE CAUSAE EFFICIENTI. 1^o Effectus esse proportionales suis causis efficientibus nihil est aliud, secundum s. Thomam ⁵, quam *effectus in actu causis actualibus attribui, et effectus in potentia causis, quae sunt in potentia, et similiter effectus particulares causis particularibus; universalibus vero causis universales effectus* ⁶. 2^o Potest intelligi huiusmodi proportio, quatenus effectus ordinati non possunt procedere a causis non ordinatis, nisi forte *per accidens*. 3^o Potest etiam accipi, quatenus perfectio, quae est in effectu, *proportionali modo*

¹ Vid. s. Thom., I^o q. XXVIII, a. 3 ad 1, et s. Bon., *ibid.*, Dist. XXXIV, a. 1, q. 1 *ad arg.*

² I. q. XLV, a. 6 c. — ³ Vid. p. 75. — ⁴ Vid. p. 74.

⁵ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 21. — ⁶ *Ibid.* c. 41.

existere debet in causa, idest ita ut si causa sit *univoca*, perfectio effectus reperiri debeat in ea *formaliter, eminenter* vero in causa *aequivoca*, vel *analogia* ¹. Cuius discriminis ratio est, quia agens *univocum* « est proportionatum suscipienti suum effectum »; unde formam eiusdem speciei, vel rationis in effectum inducit. Agens vero non univocum « non est proportionatum suscipienti suum effectum; unde effectus non consequitur speciem agentis, sed aliquam similitudinem eius quantum potest ² ».

Ex his intelligitur non oportere, ut proportio naturae inter causam et effectum existat. Quocirca insulse prolatum theorema adhibent, qui ex ipso illud consequi opinantur, quod ab existentia mundi existentia Dei argui non possit.

VII. EFFECTUS IDEM NUMERO NON POTEST ESSE A PLURIBUS CAUSIS ³. Scilicet: A pluribus causis efficientibus, totalibus, adaequatis, eiusdem ordinis, in actu secundo, idem numero effectus produci non potest: « Impossibile est, quod duae causae completae sint immediatae unius et eiusdem rei ⁴ ». Ratio est, quia si plures eiusmodi causae valerent simul eundem numero producere effectum, essent et non essent simul totales, adaequatae, et in actu secundo. Essent quidem ex hypothesi. Non essent autem, quia causa completa, totalis, et adaequata, in actu secundo ita producit totum effectum, ut alterius causae consortium excludat, secus non esset totalis etc. Quod potest etiam declarari hunc in modum: Implicat effectum ex toto dependere ab aliqua causa, qua non existente, nihilominus esset effectus; id enim esset ex toto dependere et non dependere ab eadem causa. Atqui si effectus a pluribus causis totalibus etc. produceretur, a qualibet illarum ex toto dependeret, qua non existente, nihilominus esset, quia quaelibet earum sufficit, ut totaliter illum producat; ergo implicat effectum ab illis produci. Diximus, *eiusdem ordinis*; nam si sint diversi ordinis, e. g., una particularis, altera universalis, vel una proxima, altera remota, iam

¹ Sensus harum vocum *Formaliter-Eminenter* explicabitur lit. F.

² *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. II, a. 2 *solt*.

³ « In corporum motibus, si, ut soles, diligenter attendas, nihil omnino a duobus idem fieri potest »; s. Aug., *Ep. ad Nebrid.*, XIV, n. 2.

⁴ I, q. LII, a. 3 c.

tollitur contradictio; non enim sunt completae, totales et adaequatae secundum idem, nempe secundum eundem ordinem. Hinc idem effectus totus producitur a Deo, et a creaturis, quia ab eis procedit non tamquam a duobus agentibus unius ordinis, sed a primo et secundo agente ¹. Item, si diversae causae eiusmodi essent, ut una moveat aliam, et una sit instrumentum alterius ². Diximus in actu secundo; nam si ex diversis causis una sit in actu secundo, altera in actu primo, iam haec posterior non operatur.

VIII. EFFECTUS PRODUCTUS AB UNA CAUSA NON POTEST IDEM NUMERO PRODUCI AB ALIA CAUSA. Discrimen inter praecedens, atque istud effatum consistit in eo, quod in primo asseritur duas causas totales non posse simul eundem numero producere effectum; in altero autem nec etiam divisim id posse. Rem autem ita se habere expresse docet s. Thomas, ubi inquit: « Impossibile est eundem filium nasci, sive sit alius pater, sive alia mater, sicut etiam non est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur ³ ». Ratio est, quia nihil producitur a causa, nisi quod continetur in eius virtute. Virtus autem unius numero causae non continetur in altera; ut Ioannes non continet eandem numero virtutem producendi, quae est in Petro; nam quae sunt *individualiter* distincta, non se mutuo continent. Igitur effectus ab hac causa productus non potest idem numero ab alia produci. Hoc tamen effatum vim habet, si sermo fiat de causis creatis; non item, si de causa universalis infinita, quae est Deus. Cuius disparitatis ratio est, quia nulla creatura, quantumvis sublimis, continet alteram perfecte, et quoad omnes rationes, praecipue individualas, unde non potest continere eius effectus, saltem eosdem numero. At vero Deus eminenter in se continet omne ens, et ideo omnes creaturarum perfectiones, « non solum quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quae res distinguuntur ⁴ ». Quare solus Deus potest eosdem numero effectus producere, quos producunt creatu-

¹ I, q. CV, a. 8 ad 2.

² *In lib. III Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 1 ad 5.

³ *Quodlib.* V, a. 8.—⁴ I, q. XIV, a. 6 c.

rae; e. g., potest producere eundem numero hominem, qui producit a Ioanne; et postquam perierit, potest illum iterato producere.

IX. EIUSDEM POTENTIAE EST TENDERE IN FINEM, ET FINEM CONSEQUI¹.

X. EIUSDEM EST POSSE ET AGERE².

XI. ENTIA NON SUNT MULTIPLICANDA SINE NECESSITATE; vel, FRUSTRA FIT PER PLURA QUOD FIERI POTEST PER PAUCIORA³. Tum quia secus aliquid fieret sine ratione sufficienti; tum quia res, ceteris paribus, quo simplicior est, eo est perfectior: « Dicendum, quod omnis ratio et natura concordant, quod non fiat per plures, quod potest sufficientissime fieri per unum, alioquin esset ibi superfluum⁴ ». Porro « istud verum est et locum habet, quando per unum potest ita bene fieri, ut per plura⁵ ». Unde « nobilitatis est operari per pauciora . . ., si aequae bene per pauciora res fit⁶ ».

XII. ESSE EST ABSOLUTE MELIUS QUAM NON ESSE. Siquidem esse perfectionem, seu realitatem; non esse autem defectum cuiuscumque realitatis significat. Inde fit, ut « unumquodque naturaliter suo modo esse desideret⁷ ». Dicitur absolute; nam non esse aliquando per accidens existimatur bonum, quatenus per non esse aliquid malum aufertur. Hinc s. Thomas: « Dicendum, quod non esse potest dupliciter considerari. Uno modo secundum se, et sic nullo modo est appetibile, cum non habeat rationem boni, sed sit boni pura privatio. Alio modo potest considerari in quantum est ablativum poenalis vitae, vel miseriae, et sic non esse accipit rationem boni, carere enim malo est quoddam bonum, ut dicit Philosophus in quinto Ethicorum; et per hunc modum melius est damnatis non esse, quam miseros esse; unde Matth. XXVI, v. 24, dicitur, *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*⁸ ».

XIII. ESSENTIAE RERUM SUNT INDIVISIBILES. Hoc est:

¹ Vid. alterum nostrum opus, *Phil. moral.*, Pars prima, *Eth. gen.*, c. I, a. 2, p. 33, not. 5, ed. 2^a, Neapoli 1879.

² Vid. *Potentia est eius, cuius est actus*, litt. P. — ³ Vid. p. 103.

⁴ S. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. X, a. 1, q. I ad arg.

⁵ *In lib. IV*, Dist. XXX, p. 2, a. 1, q. II ad arg.

⁶ *Ibid.*, Dist. I, p. 1, a. 1, q. I ad arg.

⁷ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 79.

⁸ 3, q. XCVII, a. 3 c. Cf p. 54.

Quemadmodum si quid vel minimum numero, e. g., ternario addas, aut ab eo quicquam detrahas, non amplius remanet id ipsum quod erat; ita nullum praedicatum ad essentiam pertinens potest detrahi ab aliqua re, vel ipsi addi, ita ut eadem essentia maneat. E. g., si tollas ab animali *sensitivum*, evadit *vivens*; si eidem *rationale* adiungas, evadit homo.

Exinde infert s. Thomas, Deum unam rem quoad essentiam non potuisse facere meliorem, quam ipsa sit, licet alias ea meliores facere possit¹.

Huic effato illud respondet: *Essentiae rerum sunt aeternae, et immutabiles*. Sunt quidem aeternae, non quatenus realiter actu in rerum natura ab aeterno fuerint, hac enim ratione existunt in tempore, quia Deus res in tempore condidit; sed quatenus ab aeterno sunt in Intellectu Divino, hac enim ratione sunt ipsae aeternae ideae, secundum quas Deus, ut Augustinus inquit, res in propriis earum *rationibus* novit². Sunt *immutabiles*; essentia enim est id, per quod res constituitur talis; hinc, si, manente, e. g., triangulo, eius essentia mutaretur, iam esset, et non esset triangulum³.

Porro hoc effatum miraculorum possibilitati minime obstat; Deus enim miracula operatur, non mutando rerum essentias, sed, ut loquitur s. Thomas, *agendo effectus causarum secundarum sine ipsis; vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt*⁴.

XIV. EX CONTRARIIS OMNIA FIUNT⁵.

XV. EX DUOBUS ENTIBUS IN ACTU NON FIT UNUM PER SE. Nempe, ex duobus entibus *integris, perfectis remanentibus* non fit unum *per se. Integris*, idest substantiis completis, unde ex anima, et corpore, quippe quae non sunt substantiae completae, fit unus homo. *Perfectis remanentibus* ex transmutatione enim plurium entium integrorum po-

¹ I, q. XXV, a. 6 c. Cf p. 48.—² *Qq. LXXXIII*, q. 66.

³ « Quod ignis est, non potest esse, ne verus sit, nec natura manens eo potest carere, quod vera est. Perime aquae, quod aqua est, et per id poteris abolere ne vera sit. Ceterum si aqua maneat, etiam in eo necesse est persistat ut vera sit. Potest ita demum natura perire, si non sit, verum non potest vera non esse, si maneat »; s. Hilari., *De Trin.*, lib. V, n. 14.

⁴ I, q. CV, a. 6 c.—⁵ Vid. p. 85.

test fieri aliquid unum, sicut ex elementis fit mixtum. *Unum per se*; siquidem ex pluribus entibus integris etiam non transmutatis fieri potest unum *per accidens*, puta ex multis lapidibus et lignis aliquo modo dispositis, et ad aliquam figuram redactis fit domus, quae est aliquid unum *per accidens*.

Ratio autem, cur ex pluribus integris, perfectis remanentibus non potest fieri unum per se, est quia « unum fundatur super ens ¹ »; quocirca impossibile est, ut ea, in quorum singulis *esse* est simpliciter ens, sint unum per se ²; sed, « ubi est aliud esse substantiale, est alia res ³ », et vicissim, ubi est una res, non potest inveniri, nisi unum *esse* ⁴.

Exinde illud infert s. Thomas, quod in Christo unum tantum sit *esse*. Nam « unius non est nisi unum esse, sed Christus est unum *esse* tantum ⁵ ». Subdit autem: « Sed non est inconveniens, quod esse unius subsistentis sit per respectum ad plura: sicut esse Petri est unum, habens tamen respectum ad diversa principia constituenta ipsum; et similiter suo modo unum esse Christi habet duos respectus, unum ad naturam humanam, alterum ad Divinam ⁶ ».

XVI. EXISTENTIA DEBET PROPORTIONARI CUM ENTITATE EIUS CUIUS EST EXISTENTIA. Hoc effatum accipiendum est quoad rationem communem substantiae, et accidentis, ita nempe, ut entitas substantialis non possit per existentiam accidentalem existere, neque entitas accidentalis per existentiam substantialem; non autem quoad alias peculiarias rationes; nam in homine corpus existit per existentiam animae, quae est spiritualis, sicut est eius essentia.

XVII. EX NIHILO NIHIL FIT. Hoc effatum perspicuis verbis explicatur a s. Bonaventura: « Cum dicitur ex nihilo aliquid fieri, potest intelligi tripliciter; aut materialiter, ut ex ferro cultellus, aut causaliter, ut ex patre filius, aut ordinaliter, ut de mane fit meridies. Primis duobus modis verum est, ex nihilo nihil fieri; tertio modo verum

¹ Vid. s. Thom. 3, q. II, a. 1 c.

² In lib. III Sent., Dist. VI, q. II, a. 2 sol.

³ Vid. Actui repugnat accidere actum, p. 35.

⁴ Qq. dispp., De Virtut., q. I, a. 11 c.

⁵ In lib. III Sent., Dist. VI, q. II, a. 2 sed contra.—⁶ Ibid., sol.

est secundum naturam, sed falsum supra naturam; per virtutem enim infinitam, quae non indiget fulcimento materiae, ita faciliter potest aliquid produci ex nihilo, sicut de aliquo, alioquin non esset virtus primi principii infinita, sed egeret materiae fundamento; et ideo illi virtuti soli hoc attribuendum est necessario, quamvis non posset consimile reperiri in aliquo creato; hoc enim est eius proprium, sicut et ipsa omnipotentia ¹. Hinc, cum res per creationem dicuntur fieri, *ex nihilo*, illud *ex nihilo* intelligendum est neque *causaliter*, neque *materialiter*, sed *ordinaliter*; nempe negatur ipsas habere ordinem ad aliquam materiam praëiacentem, aequae ac de tacente dicitur, *ille loquitur de nihilo*; et simul asseritur earum ordo ad nihilum, quatenus dicuntur habere *esse* post nihilum, sicut dicitur, de paupere fit dives, vel, de mane fit meridies ². Quocirca res ex nihilo productae dicuntur, quia inceperunt esse, cum nihil erat, quin ex aliqua materia praëistente factae fuerint.

Inscite igitur veteres, recentesque creationis adversarii illud effatum ad impugnandam rerum productionem ex nihilo obtrudunt.

XVIII. EX NON QUANTIS NON POTEST FIERI QUANTUM, seu, INDIVISIBILE ADDITUM INDIVISIBILI NON FACIT MAIUS. Idest: Indivisibile additum indivisibili, sine aliquo intervallo, nequit causare extensionem. Etenim ea, quae secundum se tota tangunt, non magis extenduntur, quam unum ex illis: Constat autem quod duo puncta immediate se tangunt adaequate, et secundum se tota; nam, cum sint indivisibilia, fieri nequit, ut secundum aliquid sui se tangant, et non secundum se tota: Ergo indivisibile nullam facit extensionem. Hinc, sicut in aedificio si unus lapis adaequate tangeret alium, et cum illo penetraretur, nullatenus aedificium cresceret, quantumvis lapides adderentur, sed omnes eidem spatio responderent; ita si punctum immediate adderetur puncto, nullam adderet extensionem, quia unum non extenderetur ultra aliud, sed illud immediate contingeret. Ex quo etiam consequitur, quod linea, e. g., decem punctorum non est magis extensa, quam li-

¹ In lib. II Sent., Dist. I, p. I, a. 1, q. I ad arg.

² Vid. s. Bonav., In lib. I Sent., Dist. V, dub. X, et s. Thom., I, q. XLV, a. I ad 3.

nea undecim punctorum. Nam linea posterior excedit priorem tantum quoad unicum indivisibile; ergo repugnat quod sit magis extensa, aut divisibilis ratione illius; siquidem implicat aliquid esse magis extensum per id, quod omni extensione caret. Quare linea ratione puncti *terminativi* habet quidem plus de entitate, secus vero de longitudine, aut extensione. « Dicendum, ait s. Thomas, quod punctum additum, vel subtractum lineae non facit maius, vel minus; et similiter de instanti appposito temporis ¹ ». Et s. Bonaventura: « Punctus ad lineam nihil addit, non etiam mille millia punctorum ² ».

Iamvero, etsi indivisibile additum indivisibili non valeat efficere maius, aut extensius; tamen efficere potest plus, et causare multitudinem. Etenim, cum quantitas discreta, seu numerus sit quaedam multitudo, mirum non est, quod unitates ex se indivisibiles queant aggregatae numerum constituere. Quibus etiam addendum est, partes quantitatis continuae esse eiusdem rationis cum toto, pars quippe lineae linea quaedam est; quocirca sicut ipsa quantitas continua constat partibus, et potest dividi in eas, ita quaelibet eius pars debet id ipsum habere, quod indivisibilibus nequit convenire. At partes quantitatis discretæ non sunt eiusdem rationis cum toto, non enim pars quinarii est quinarius; ac proinde fieri potest, ut quantitas discreta ex solis indivisibilibus constituatur ³.

XIX. EX QUALIBET PARTICULARI OPERATIONE PROPRIA TOTA VIRTUS AGENTIS DEMONSTRATUR. Nempe: Etsi ex particulari non sufficienter ostendatur universale, tamen, quando aliquod particulare opus proprium est alicuius agentis, tunc per illud particulare opus tota virtus agentis probatur. E. g., cum ratiocinari sit proprium hominis, ostenditur aliquis esse homo ex hoc ipso, quod ratiocinatur circa quodcumque particulare obiectum.

¹ Quodlibet. VII, a. 9 ad 2. Et alibi (Qq. dispp., De Ver., q. II, a. 3 ad 11) docet non posse quidem *diminui a linea, quod sit ad punctum terminabilis*; sed si *diminuat a linea punctus in actu, nihil deperire de lineae quantitate*.

² In *Hexaemeron*, Serm. XI. « Quippe si puncto punctum addimus sine intervallo . . . non fit nisi unus punctus »; s. Ans. *De Process. Sp. S.*, c. 29.

³ Vid. *Indivisibile simplex—materiale*, litt. I.

Exinde illud infert s. Thomas, quod « cum propria virtute miracula facere sit solius Dei, sufficienter ostensum est Christum esse Deum ex quocumque miraculo, quod propria virtute fecit ¹ ».

XX. EX QUOVIS NON FIT QUODVIS. Idest: Non quodvis subiectum aptum *naturaliter* est cuilibet formae *immediate* recipiendae. Cuilibet enim formae subiicitur propria materia, quae ita est disposita, ut forma non possit nisi in tali materia subsistere. Hinc illud aliud effatum, *Actus activorum sunt in patiente praedisposito*; nempe agens non potest aliquem effectum in patiente producere, nisi ipsum patiens dispositum sit ad illum suscipiendum, quia *ex quolibet non fit quodlibet*. Dicitur vero *immediate*, scilicet nulla mutatione intercedente; nam *mediate*, seu per varias mutationes substantiales, ex quovis potest fieri quodvis; e. g., ex pane fit caro. Rursus dicitur *naturaliter*; nam falsum est effatum, si spectetur infinita Dei virtus; sicut enim Deus potest ex nihilo res producere, ita quodvis e materia remota *immediate* producere solus novit.

XXI. EXTREMA MAGIS OPPONUNTUR EXTREMIS, QUAM MEDIIS. Per *extrema* intelligenda sunt vitia opposita: per *media* virtutes in medio vitiorum constitutae. Iam effatum istud significat extrema magis differre ab extremis, quam a mediis. Et certe, similitudo est nonnullorum extremorum cum medio, quae cum extremis nulla est; e. g., cum liberalitate quodammodo consentit profusio, at inter hanc, et avaritiam summa est dissimilitudo. Non item vero res se habet, si pro *oppositione* velit illa intelligi, quae inter bonum, et malum intercedit. Cum enim virtus, et vitium maxime opponantur, fit ut, e. g., avaritia magis conveniat cum profusione, quam harum utraque cum virtute, seu liberalitate; conveniunt quippe illa in genere vitii; cum virtute autem in genere non conveniunt.

XXII. AB EXTREMO AD EXTREMUM NON DATUR TRANSITUS, NISI PER MEDIUM. Hoc effatum verum est de motu *locali physico*; tali enim motu non potest mobile ab uno loco moveri ad alium, nisi transeundo per medium; siquidem moveri motu locali physico est quidem transire ab extremo ad extremum per medium, idest, ita ut omnes partes mobilis pertranseant omnes partes spatii interiecti inter ter-

¹ 3, q. XLIII, a. 4 ad 3.

minum, a quo fit motus, et inter terminum ad quem. Item, verum est de aliis motibus *physicis*, ut in augmentatione, permutatione successiva, etc.; nam prius, e.g., dimidium caloris introducit in aquam, quam summus calor. Falsum vero est de actionibus quibuscumque *instantaneis*, uti est illuminatio, intellectio etc.; cum enim in his nulla per se sit necessaria successio, nullus quidem transitus per se requiritur ad medium prius quam ad extremum. Hinc s. Bonaventura effatum istud explicat hunc in modum: « Quandoque inter aliqua extrema cadit medium, quod habet naturalem ordinem ad extrema, impossibile est, quod agens virtutis finitae possit pervenire ab extremo ad extremum sine medio. Ut patet, quia inter album et nigrum est medius color, impossibile est, quod aliquid agens creatum faciat de albo nigrum, quin faciat per colorem medium ¹ ». Rursus, ne semper quidem verum est in Ethica; non enim necessum est a vitio ad vitium, uti a profusione ad avaritiam procedere, seu transire per virtutem, uti liberalitatem; virtus enim est medium per recessum ab utroque extremo.

XXIII. EX VERO NUMQUAM SEQUITUR FALSUM, ET EX FALSO NON SEQUITUR PER SE VERUM ².

F

DISTINCTIONES

I. FACERE—AGERE ³.

II. FELICITAS OBIECTIVA—FELICITAS FORMALIS. *Felicitas obiectiva* est illud bonum, cuius adeptio hominem felicem reddit, nempe Deus. *Formalis* est huius boni perfecta possessio. Hanc beatitudinem formalem hominis Thomistae essentialiter sitam esse docent in actu intellectus, scilicet in visione Essentiae Divinae, quam visionem amor *fruitivus*, tamquam inseparabilis eius proprietas, consequitur. Scotistae e contrario eam collocant in solo actu amoris, quo diligitur Deus propter se, ita ut visio non se habeat, nisi ut dispositio ad amorem. Alii autem u-

¹ In lib. I Sent., Dist. XXXVII, p. 2, a. II, q. 2 in fund.

² Vid. litt. V.—³ Vid. p. 10.

tramque sententiam componunt, et beatitudinem *formalem* dicunt esse simul actum intellectus, et voluntatis, nempe visionem, et amorem.

III. FINIS NATURALIS—SUPERNATURALIS. *Finis naturalis* ille est, quem creatura potest attingere secundum suae naturae vires, *supernaturalis* vero est ille, ad quem creatura secundum vires suae naturae pervenire non potest. Ita, sanitas est *naturalis* finis medici, qui eam per remedia naturalia obtinet: Vita aeterna, quae in Divina visione consistit, est finis *supernaturalis* creaturae rationalis, quia illa visio est supra naturam cuiuslibet creaturae, ac proinde ad ipsam non nisi ope Divinae gratiae perveniri potest.

IV. FINIS OPERANTIS—FINIS OPERIS. *Finis operis* est illud ipsum, quod per operationem efficitur. *Finis operantis*, qui dicitur etiam *finis intentionis*, est illud, quod sibi proponit agens in sua operatione. E. g., « forma domus est finis terminans operationem aedificatoris; non tamen ibi terminatur intentio eius, sed ad ulteriorem finem quae est habitatio; ut sic dicatur, quod finis operationis est forma domus, intentionis vero habitatio ¹ ». Item, bonum corporis potest esse finis virtutis, quasi quidam terminus, vel effectus virtuosae operationis; non autem sicut in quo stet virtutis intentio; quia, cum virtus sit perfectio animae, quae est corpore nobilior, et cum nihil agat propter vilius se, non potest esse quod in bono corporis intentio virtutis quiescat ² ».

Dicitur quoque *finis operis* id, ad quod opus natura sua spectat; *finis autem operantis*, illud, quod agens ad libitum sibi proponit, e. g., respectu eleemosynae, subsidium pauperi ferre est finis *operis*; charitas, aut inanis gloria est *finis operantis*; item, respectu aedificationis domus, commoda habitatio est finis *operis*; lucrum, vel aliud est finis *operantis*. Aliquando finis *operis cum fine operantis* conspirat, uti cum architectus propriam sibi aedificat domum.

V. FINIS PRIMARIUS—FINIS SECUNDARIUS. *Primarius* est, quem agens ita respicit, ut, omni alio fine deficiente, etiam operaretur; *secundarius*, propter quem, si solus es-

¹ *Qq. dispp.*, De Pot., q. III, a. 16 c.

² In lib. IV Sent., Dist. XLIX, q. I, a. 4, sol. 1 ad 4.